50

MAGNO
MAGNÆ BRITANNIÆ
REGI
Guilielmo Tertio,

Musarumque
Cultorum Cultoribus,

Regia Regii Nominis Anagrammata pura Strennæ Loco in Annum Virginei partus 1693.

D. D. D. Franciscus Colsoni, *V. D. M. Barroducæus, Italicæ ac Romanæ Linguæ Concionator.*

GUILIELMUS Tertius.

Anagr. Duplex.

1. *Vir sum Tutelis Legi.*
2. *Tuli ut Miles Regius.*

Fama Canit.

Dum rego Lege Viros Guilielmus Tertius Anglos
Legi tutelis sum Vir in orbe meis.
Sum Vir in Axe, meâ populi discernite Lege,
Lex mihi tutelâ sponsa fit æqua pari.
Regius arma *tuli* sacrato *ut* nomine *Miles*,
Anglis sic sum Dux Auriacisque redux.
Nomine sum Guilielmus et omine Tertius Anglis,
Sum Pater ac socius, spes, amor, aura, decus.
Sum Rex; sic Deus et Populi voluere Britanni,
Sic quoque regnabo regna regente Deo.

Musa respondet

GUILIELMUS Tertius

Anagr. Quintuplex.

1. *Uti Mel surgis utile* } { 3. *I, et ut Lilium surges*
2. *Tu Vim elige Lustris* } { 2. *Tu Miles Regius ulti*

5. *Tu geres jus illitum.*

Tu Guilielmus *uti mel utile surgis* in arvis
Militibus Patriis Rexque Paterque præis.
Ergo novam *tu Vim* vernantibus *elige Lustris*;
Sint tua Lustra tuis Anchora Visque choris!

A Natus

Natus es, es notus *Tu Miles Regius Ulti*
Principis Auriaci, jam soliique tui.
I, Rege, Cresce, Vire, *et surges ut Lilium Honoris*,
Gallica cui credent Lilia Trina sato.

Applaudit PARNASSUS
sub Anagrammate vario.

GUILIELMUS Tertius

1. *Mel eligitur Justus.*
2. *Surgit vel it meliùs.*
3. *Justus reget Lilium.*
4. *Jus sit ut ille Regum.*
5. *Riget Jesus ut illum.*
6. *Vi Regnm telis ultus*
7. *Virtus e mille sugit*
8. *Vir est ultimus Legi.*
9. *Miles viget Rutilus.*

Anglia Proloquitur.

Eligitur Justus Mel! cur? quia mungit & ungit
Imbre Deus Justum mellifluumque facit.
Sic *surgit meliùs vel it*, en Bellona fatetur,
Rex hic & arma fovet, nulla pericla timet.
Armis, *Jus sit ut ille* suis, post prælia *Regum*,
Gentibus & Cunctis fœdera sacra cluat.
Lilium honore triplex *reget* & geret undique *Justus*,
Quod regit injustus jam Lodoixque gerit.
Lilia cur reget hic? *riget undis Jesus ut Illum*
Ætheriis, Regnum Liliferumque regat.
Sic *Vir*, hic *ultus* erit *Regum vi*, dicite, *telis*,
Bellica Nympha jubet, Cur? quia tela tulit.
Hinc *è mille* sacrum jam *virtus sugit* acervum
Floribus, ut sociis mel det amica Viris.
Sic pia Musa canit, *Guilielmus hic*, omine vero
Ultimus est Legi Vir, quia Lege ligat.
Sic pia Fama refert, Guilielmus hic, ordine divo
Rex cum Lege regit, Lex sub Eoque regit.
Sic pia Turba sonat, Guilielmus hic imperat ut Rex
Ut Pater, ut Frater, Regnat ut Argus humo.
Sic Bellona tonat, *Rutilus viget* agmine *Miles*,
Hostibus attritis Victor ad arva redit.
Sic resonat studiosa suis en Anglia votis
Vir regat Iste Solo, Vir regat Iste Salo!
Sic Populi applaudunt concordi voce fideles
Vivat hic Imperio Vir sine fine novo.
Sic ego mellifluo nova Carmine parta vovebo
Atque canam Vivat Rex hic & astra regat!

Echo

Echo Musarum Votiva

Ac Anachrostica.

G - entibus Omnigenis Rex vive per agmina c - *ultus*
U - ltus es, hoste, tenesque tuo sacra Laurea trito - *Ito*
I - to Britannarum hymen dilige, dirige flumen - *Lumen*
L - umen post tenebras & Pax post bella redibunt - *Ibunt*
I - bunt Flora Ceresque simul; Cessabit Egestas - *æstas*
a E stas flava dabit sata; monstra Diana recludet - *Ludet*
L - udet Apollo Deæque canent tua Parta remotis - *motis*
M - otis inde animis Pacis dabit Anglia munus - *Unus*
U - nus et hic Populus Te Magno Rege resurget - *Surget*
S - urget ab ore tuo cœleste per omnia flamen. *Amen.*

Echo Altera bis Anachrostica.

G - ratia celsa fluat divini Cæsaris — *aris*
T - erra rosas, gemmas et Mare clamet, *amet*
U - ndique mixta novis sint gaudia pectoris - *oris*
E - ximii Applausus votaque grata - *rata.*
I - mperium Gulielme tene; Rex Maximus - *imus*
R - êvera Lodoix qui tua quærit, *erit.*
L - ilia tingat atro tria sanguine Purpura - *Pura*
T - u dabis Auriacis Vellera Pacis Heris.
I - ntereà Caritum renova Rex providus — *idus*
J - am populisque refer Lumina Matris -- *atris*
E - cce Britannorum datus es Pater Astrifer! *i, fer*
U - nctus opes Patriæ, dulceque pronus -- *onus.*
L - ege fuga Gallos & Plaustra Tyrannidis, - *I, dis*
S - ede sede excelsâ, Cum Grege Rege - *rege*
M - ars Spoliis & Flora thimis te jungat & *ungat,*
R - ore sacroque riget divus Apollo *Polo!*
U - ltro sancta Caterva sonet tua carmina; *Mina*
E - t cesset, plectet tum juge crimen -- *hymen:*
S - ic Deus æterno teneat Te poplite; *Lite*
eX - tinctâ scelerum: detque levamen *Amen!*

Ad ANGLIÆ *Parlamentum*

Apostrophe.

A lbion alma diem; quo Regia mœsta carebat
N onne renascentem Guilielmi Regis in ortu
G entes Luce novâ per castra fugante Rebelles

Læta videt? videt! et, Supremo Rege tonante
Imperium hocque tuente, manuque tenente, triumphos
Æqua Sophos renovat, Bellona cruentat et hostes,
Patria cogit opes, Parlamentumque salutem
Appetis Anglorum; cur? Rex ut hic ense fideli
Restituendo seni vires, juvenique vigorem,
Lauros det pacis Patriâ virtute Britannis.
Anglia magna jubet, virides quas Roma Coronas
Magnati tribuit, Gulielmo imponere Regi,
Et propriis redimire rosis, dum cogit aristas.
Nonne Deus tonuit; populorum Voxque celebrat
Tantum fronte fideque Ducem elegisse! quid inde?
Ut Lex, Libertas ac patria Lustra vireent
Mirificè. Tu Rosor & Osor adeste Charonti..

Potestatibus Confœderatis.

Apostrophe altera.

Plaudite Parthenici & Thalassius Iste sonoro
Omine fata dabit Gulielmi Regis ad omnes
Terras, ambabus vos plaudite plaudite Palmis,
Et nova vota date augusto jam fœdere tuti:
Spargat opes Bellona suas; det Flora Coronas:
Thus pietatis Arabs ferat; Afferat Indus & aurum;
Afferat optatas Europa vel Asia gazas;
Totus ut Orbis inops ditescat Rege sub Isto.
Insidiis aberit procul hostis & Anguis; et inde
Bellonæ Geniti Mavorti coelitùs uncto
Undique Victori palmas ac munera fundent
Seque suosque canent Ipsi sub perpete voto.

Urget Musa.

Cresce, vireque favis Regum sociata Caterva
Omine nota sacro, cognomine nota sereno
Notaque Virtutum numero Terræque Marique
Fœlix vive Tuos semper moderare sagaces
Oeconomos fidei, dum Terror es hostibus imis,
Despondentque pii sua vota vel arma Coloni.
Ergo Cohors tantum sociis dum congeris aurum
Rapta, fugata, cremata, toro & violata paterno
Aquila non pereat, Gallo minante per agros!
Turba potens, uni patriâ virtute resiste
Jam Gallo; En Gallus suppresso robore solus
Sole carens Lunâque, dies percurret amaros!

Ad

Ad ANGLIAM
Votum Poetæ.

Anglia quæ patriis jam finibus aptat & optat
Externas Gentes, ubera ſacra paret!
Immixti Belgis jam Galli pacta tueri
Anglica conveniant voce vel enſe, volo!
Voce juvet Gallus, ſacra verbaque promat, at enſe
Anglos Belga juvet; vota Deusque juvet!
Verſibus hiſce novis Te Muſa juvaret in agris
Bellica ſi ſaperet pacta vel acta Libris.
Velivolis Pelagos Tu Montibus Anglia reple,
Jamque ſub Imperio Terra ſit acta tuo!
Cur? quia ſola potes virtute domare Tyrannos,
Terror es ecce Salo! Terror adeſto Solo.
Præſit ab æthre Deus, Navesque ſecundet in undis
Ut nova forma, fides, gloria, paxque micet!
Hæc devota Tibi cecinit ſolatia Vates
Anglia! majores det Pater Altus opes!

Angliæ Mœcenatibus
Augurium.

Vos Amor, Aura, Decus, Solamen & Omen et Hymen
Parnaſſi Genitis ſpesque ſalusque piis!
Vivite! ſed ſcriptis, vos vivite, vivite noſtris;
Neſcia Mors tumulos lugeat ipſa ſuos!
Vivite vos Patres, Fratreſque, Minerva jubebit,
Vivite perpetuis Laudibus hiſce choris!
Pauper et abſque (ſatis) theſauros appetit altos
Gratia quos ſociis veſtra dat abſque (ſatis)
Gratia ſi ſatis eſt, ſatis eſt mihi gratia veſtrî
O Mœcenates! ſed magis una Dei.
Sex natas, natoſque duos ſi pauper hic Orpheus
Vix ſatur, et ſponſam pane vel imbre cibat.
Paſcite vos ſaturi Paſtorem cœlitùs iſtum
Paſcite Conſortem jam tenerumque gregem
Grex tener; octo ſimul vix Luſtra propagat in octo;
Annos nec bis ſex filia prima premit.
Ergo favete Patres, Patrii ſobolique tenellæ
Sed magis hic Matri parte vel arte nová
Mens mea, Lingua, manus, calamusque, perennibus optent
Vos celebrare toris jamque replere bonis.
Sic cupiam ſuprema Dei myſteria vobis
Ferre, petam, cunctis afferat aſtra Deus!

Chro-

Chronologicum Carmen

Hexametro solo contentum in Annum
Reparatæ Salutis 1693.

Mens DoCet aLta, sagaX ReX, et GreX eXerIt IstIs
Divitias sociis quos sacra Musa colit.

Aliud toto inclusum disticho.

Mars Dat CLara sUo ferUs arVa sUb ense fUnesto,
PaX at parta refert a Patre JUstItIæ.

Epilogus.

Cur metra! dic Anagrammata, dic Anachrostica, Vates
Cudit hic, an nummos cudere nescit inops?
Quid juvat hîc multis si dives Versibus es tu;
Ære sed exiguo, pane, meroque cares!
Carmine fit clarus, sed fame tabescit inanis
Nonne Poeta vigil dum mera vota canit!
Ditior, armigero si junctus averet acervo
Num foret? & calamo parceret, ense potens.
Talia fortè vomis Romanæ Palladis Hostis,
Nescis opesque Deæ quas pepere sacræ!
Regnat ubique Poëta suis num Versibus altis,
Laureolasque serens colligit inde dapes?
Si miser & vacuus spoliis petit ostia vates,
Nil timet, at claro gaudet ubique diê.
Continuo hinc agitata viget si flumine Daphne
Laurea vel viridi germina fronde fovet.
Num celeri pede dum currit per carmina Vates
Immemor æris, opes congerit atque dies?
Gur (peto) clara Sophos sub paupertatis amictu
Hospite sæpe caret, sospite, curque cibo!
Sospes et hospes adest Sapientia, crede, Poetæ
Soter et Arbiter est, crede, Poeta boni.
Ergo Sophos sapit hîc tenebrosa per arma salutem
Versibus armigeris quærere & ære sacro.
Ergo nova virtute virens mea concine Musa
Quot quot Apollo dedit, da nova vota, volo.
Intereà Carites Vatem vos divite palmâ
Jam nutrite, mero si caret Aula novo
Strenna sit ista jugi sociata vel aucta triumpho
Et memores Geniti dent nova parta Patri.

Ad

Ad Fautores Poetæ.

Noſcitur Ignotus num noto carmine Vates;
Num quoque Fautores noſcet in ære ſuos!
Fatis fata novis cecinit fautoribus Iſte;
Cur? quia quiſque fovet jam favet atque ſuis.
Iſte Poëta ſuis favit devotus amicis;
Ipſi Turba fave ſemper amore pari.
Ergo diù faveant, foveantque ſerena potenter
Carmina fautores, Rex jubet hîcque Deus.
Gaudia multiplicent fautores Regia Vatis,
Gaudeat hic fautor Cultor & Ultor, amo.
Quotquot habes errata dele, rogo, fautor amice
Et bona junge bonis jam tua vota meis!
Amen.

Ad Oſorem & Roſorem Latij.

Oſor es! es Roſor Latij; Cur? num quia cœcus
Tu Verbo & voto Natus es Argus humo!
Luce cares, tenebraſque vides, Latioſque Penates
Deſpicis, hæc animo neſcis & apta tuo.
Quid tibi cum Muſis qui Mutis junctus avitis,
Nil niſi bárbariem nôſcis amaſque tuam!
Quæ tua ſpes; quæ gloria, quæ ſapientia? Nulla!
Cur? quia Mors aderit ſors tua, & Urna decus.
Deſipis, iſta niſi ſapis ardua fata Poetæ;
Ergo tace & ceſſa rodere odiſſe, minùs.
Oſor es, hîc pereat tua gloria, ſitque ſepulta
Vox tua, Te ſileant Funera, Teque tui.
Vel venerare Jubar, ſapientia Teque ſecundet
Diva Foro, Noſtris Verſibus Actor eris.
Actor eris, non oſor eris, non roſor, & inde
Pax tibi, Laus & honor, gloria, fama, decor.

Sic fingebat & pangebat
Franciſcus Colſoni, *V. D. M.*
Italo-gallus Muſarum
Cultor & Ultor.
Londini.

none

accomp